



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos  
Distributa

**Ilsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCXXVI. De Filio Reguli sanato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

## MEDITATIO CCXXVI.

## De Filio Reguli sanato.

Joan. 4.

**P**UNCTUM I. Post duos autem dies exiit inde (de Sichar civitate Samariæ) & abiit in Galilæam. Ipse enim JESVS testimonium perhibuit: quia Propheta in sua patria bonorem non habet ( ideo enim abiit in reliquam Galilæam, relicta urbe Nazareth, ubi fuerat educatus: ut dicitur Matth. 4. v. 13. ) Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi; cum omnia vidissent, quæ fecerat Ierosolymis die Festo: & ipsi enim venerant die Festo. Venit ergo iterum in Cana Galileæ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus ( id est, Præfectus, vel præcipuus quispiam minister Herodis Antipæ, in Galilæa Tetrarchæ , vulgo autem Regis appellati.) cuius filius infirmabatur Capharnaum ( in urbe Capharnaum ) hic cum audisset, quia JESVS adveniret à Iudea in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus: incipiebat enim mori. Dixit ergo JESVS ad eum: nisi Signa & Prodigia videritis, non creditis. à v. 43. Ex his verbis pro ordine & serie historiæ Evangelicæ relatis, ultima maximè notanda sunt, & ex ijs considerandum, quomodo Christus Regulum propter Fidei imperfectionem ( quia non credit, etiam ab absente filium sanari posse ) saluberrima reprehensione exceperit; & quomodo Regulus non obstante officij sui Dignitate, humiliter sine indignatione, sine negatione vel excusatione objectæ incredulitatis, sine contradictione, vel oblocutione objur-

B 4

gatio-

gationem illam admiserit. Disce ergo ab ipso, quomodo ex ore Superiorum defectuum tuorum reprehensiones excipere, eisque pro summo beneficio habere, atque ex illis emendari debeas: sicut Regulus ille, ut patebit, beneficium expertus, & emendatus est. Hinc etiam collendum est, quantum sit Beneficium DEI, si propter tuos defectus, & imperfectiones interius in animo tuo reprehendaris, & mox angaris. Hinc David ait Ps. 118. v. 71. *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas.* Contra quantum fit damnum, ac supplicium, si veluti ægrotus depositus, ac inobediens Medico, deferaris; sicut de Populo Israëlitico dicit DEVS Ps. 80. v. 13. *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum; ibunt in adiunctionibus suis.* Rationem addidit v. 12. præcedenti. *Ei non audivit Populus meus Vocem meam; & Israël non intendit mihi.*

PUNCT. II. Humiliter audita reprehensione Christi, dicit ad eum Regulus: *Domine, descende prius, quam mortatur filius meus.* Dicit ei IESVS: *Vade, filius tuus vivit.* Credidit homo sermoni, quem dixit ei IESVS, & ibat. v. 49. & 50. Ecce præmium Constantiæ in Oratione, non mox exauditâ, sed cum specie repulsa rejectâ! Ecce fructum patienter toleratæ reprehensionis! DEVS enim dedit, quod rogatus fuit: Regulus emendavit id, propter quod fuit reprehensus. Diligenter etiam notandum est, quod, licet Christus solum dixerit: *Filius tuus vivit;* Regulus tamen rectè crediderit, illum non solum vivere, sed sanum vivere: nam vivere, & non sanum vivere, et si non sit idem ac mortuum esse, est tamen idem ac mori. Sic etiam vivere, & non sanctum vivere, est idem

idem ac mori, sive, ac proximum esse peccato mortali: propter hujus proximum ac certum periculum homini tepido dici potest, quod S. Joan. Apoc. 3. v. 1. DEI nomine scribere jesus est Angelo, id est, Episcopo Ecclesiæ Sardis: *Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas; et mortuus es. Esto vigilans, et confirma cetera, quæ moritura erant: non enim invenio opera tua plena coram DEO meo.*

PUNCT. III. *Iam autem eo descendente servi occurserunt ei, et nunciaverunt, dicentes: quia filius eius viveret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: quia heri horâ septimâ (apud nos est prima post meridiem) reliquit eum febris. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei IESVS: filius tuus vivit. Et credidit ipse, et domus ejus tota. à v. 51. Si cut Miraculum est motivum impellens ad credendum DEO, sic Beneficium est motivum ad amandum DEVM. Pudeat ergo te, quod unicum Miraculum homini Regulo, & toti familiæ ejus suffecerit, ad fidem non tantum inchoatam, qualem primò habuit, sed ad perfectam; & tamen tot Beneficia (quæ ad mentem breviter revocabis) tibi nondum suffecerint ad perfectam ac stabilem DEI Charitatem, à tota tua domo sive familia omnium potentiarum Animæ tuæ exhibendam: has enim potentias nomine totius domus etiam intellexit Isaias. c. 38. v. 1. quando:*

*Ezechiæ dixit: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives.*

